Ps 41

Beatus qui intelligit super egenum. Et intelligere in scrip. non dicitur de iis: qui tantum visibilia & sensibilia cogitant: que in hoc brutis comparatur homo. Sed qui spiritualia & invisibilia cogitant, quod non nisi per fidem fieri potest in hac vita. Unde Ro. 1 Invisibilia dei a creatione mundi, operibus intellecta conspiciuntur. Conspiciuntur invisibilia inquit, non visa, sed intellecta & hoc ex operibus a creatore mundi. Sic ergo intelligere super christo est habere cognitionem de invisibilibus in illo: quod in alio loco vocat nosse. Et hoc modo omnes illi. Alias omnes scandalisantur in illo. Sic certe usque hodie pauci qui intelligunt super christum habitantem in pauperibus & despectis: Quia enim non videt christum in illis sensibiliter: non intelligunt neque consyderant eum inhabitare spiritualiter. Et sic usque hodie scandalisantur. Beatus qui talis fuit iudex. Nec est enim inhonora conformare se muneri debet sicut Apostolus, honore prevenire & superiores arbitrari. Quoniam sepe loquitur christus de contemptibili corde & persona. Et non advertitur. Loquitur et magnus & dives & omnes mirantur.

Nominum sane quem in heb. non est Egenum: sed tantum pauperem. Et ea additio non parum adimit dignitatis & ponderis de scientie maiestate. Christus enim Zach. 9. pauper vocatur. Et omnes christiani pauperes Ps. 11. Quia pauperes tantum evangelisantur. Et beati pauperes quia ipsorum est regnum. In hoc et intelligere non est tantum de actu interiori animi sed de exteriori. ut sic foris agat erga christum & pauperes: sicut intus sentit & estimat, alioquin pro non intelligente reputabitur & insipiens erit. qui dixit in corde suo non est deus.

Lectus doloris. primo est conscientia pro peccato sive doloris, quia in sola conscientia quiescit anima: vel infirmitatem pro gratia vel aliquem. Non enim est dolor sine dolorem conscientie. ideo est lectus doloris, in quo cogitur iacere peccator: pro peccato. Et deberet quietum esse lectus ad quietem. Sed nunc pro peccato est lectus doloris: Non enim potest fugere a conscientia sua propria ideo est lectus. Et tamen non quiescere in ea. ideo est doloris. Sponsa et in Cantic. de suo lecto dicit. lectulus noster floridus. Et alibi In lectulo meo quesivi illum. Ista sunt lectuli gaudii que secura conscientia & quietus. 2º potest ideo dici Lectus doloris. Quia homo qui in conscientia & delectatione peccati quiescit: nescit quod delectatio ista potius dolor sit cordis, afflictio spiritus & vanitas.

Stratum eius infirmitate dicit. Quia per peccatum vertit homo est infirmum sed non ad bonum & pronum ad malum. Et est ibi conscientia peccati & infirmitate que est pena peccati. Ab utraque liberat intelligentia super christum i. vera & viva fides christi: tollit enim reatum peccati (i. dolorem.) & sanat infirmitatem ad bonum et sic mutat totum stratum, ut sit stratum in fortitudine: Qua nihil fortius & audacius quam secura conscientia. hec enim omnia sperat. & omnia sustinet.

Aliter secundum glosam & Aug. qui sunt ex hoc verbo. Versasti. Sed hec repugnant est litere. Quia dolor est peccatum & infirmum est vertere ad bonum. Utrumque et deus tollit. Sic Matt. 11 dicit. Venite ad me omnes qui laboratis (hoc est stratum infirmitatis.) & onerati estis (hoc est lectus doloris.) Et ego reficiam vos. hoc est opus ferre & vertere & mutare universum i. totaliter quod hic fit in fine vite. Sed enim in stabulo nos sumus Samaritani: In quo dolore oleo qui mitigat & infirmitatem vera stabularii sensum medetur

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn328043192/99